



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non  
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu  
peragi possint

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Alia intentio ante opus aliquod alicujus momenti etiam Sacrificium Missæ,  
vel pœnorum, vel per se tendens ad Dei gloriam ex motivis variarum  
virtutum.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](http://urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

unicum bonum infinitè ames , & vellem in infinitum augere numerum singulorum bonorum opem & intentionem bonarum, quibus à me vel ab ulla creatura honoratis. Nullam corporis, nullam animæ meæ actionem volo esse adiaphoram, sed valde bonam , dirigoque illam ad summam gloriam tuam per manus Salvatoris mei D. N. JEsu Christi , in quibus perficiantur omnes , & juventur ipsius infinitis meritis , & meritis benedictæ Matri ejus & omnium Eleotorum. Utinam singulis possem addere numerum & pretium infinitum ac fines omnes, qui in divina mente tua sunt optimi. Et hæc omnia expressè volo , quoties dixerò vel cogitavero ad majorem Dei gloriam. Quoties sonitum campanæ audiero , quoties manum aut pedem movero, aut arteriæ pulsus erit,

*Alia intentio ante opem aliquod alicujus momenti  
etiam Sacrificium Missæ , vel pœnosum , vel  
per se tendens ad Dei gloriam ex moti-  
vis variarum virtutum.*

Per manus JESU & Mariæ , omniumque Eleotorum & Angeli Custodis mei , omnium creaturarum nomine , in unione omnium meritorum Christi , & sanctissimâ illâ purissimâque intentione , quâ tu mecum concurris , non solum pro nunc , sed pro æternitate totâ , quantum in me est , maximoque affectu & modo , quem scis meliorem , tibique acceptiorem esse , offero divinæ Majestati tuæ hoc opus, molestiam, laborem, dolorem cum intentione.

J. Pla-

*Solida devotionis exercitia.* 25

1. Placendi tibi soli & suavissimum gustum dandi ; quia ob infinitam bonitatem & perfectiōnem tuam dignus es. *Caritas.*
2. Quia sic spero me per infinitam potentiam tuam , fidelitatem ac misericordiam tuam obtenturum gratiam , merita ac gloriam. *Spes.*
3. Quia credo te h̄ic præsentem esse , posse ac velle me audire & exaudire. *Fides.*
4. Quia istâ actione te honorare , tibi ob infinitam excellentiam tuam cupio servire velut meo Dómino , principio primo & fini ultimo. *Religio.*
5. Quia sic imitari intendo meum JEsūm , B. V. & omnes Sanctos. *Imitatio Sanctorum.*
6. Quia hoc modo resarcire desidero ingratitudinem & injurias , quibus ego cum aliis peccatoribus te offendī. *Pœnitentia , zelus honoris divini.*
7. Quia hoc requirit obligatio gratitudinis protu amore & beneficiis mihi præstitis. *Gratitudo.*
8. Quia benē operando evadere cupio pœnas purgatoriū , multoque magis inferni à justitia tua infligendas. Et tali modo pro pœna peccatis meis debita justitiae tuæ satisfacere desidero. *Metus supernaturalis & justitia vindicativa.*
9. Ut actiones meæ justæ bonaque exempla ædificant proximum , illique & vivo & mortuo prosint , & à tua liberalissima manu hoc illud N. N. pro me & aliis in illorum utilitatem immittantur. *Caritas fraternalis.*

10. Propter bonum quod in rem publicam Christianam aut religionem , cuius membrum sum , inde retulat. *Pietas & justitia legalis.*

11. Quia sic obedio tibi præceptis tuis ac regulis meis. *Obedientia.*

12. Ut hâc monetâ operum virtuosorum solvam debita , ad quæ vel justitia vel fidelitas aliis præstanta me obligat. *Justitia & fidelitas.*

13. Ut subjiciam me divinæ voluntati tuæ velut indignissimum & egentissimum ob peccata mea. *Humilitas.*

14. Quia sanctè operando reprimere & vincere volo inordinatas passiones meas. *Fortitudo, Mortificatio.*

15. Ut labore hoc vel pœnoso exercitio corporis aut animæ impediā & vincam motus & cogitationes castitati contrarias. *Castitas.*

16. Quia sic dictat veræ prudentiæ dictamen ; ut , quamdiu valetudo ac tempus permittit , benè operer , meque in virtutum exercitio strenuè excolam. *Prudentia.*

17. Quia rationi honestatique conforme est , ut virtutes exerceam. *Virtus in genere.*

Ex his omnibus & possibilibus quibuscumque motivis supernaturalibus me quodvis opus tibi offerentem Domine Deus adjuva. Ut cum gratia tua incipiam , prosequar & finiam omnes operationes meas ad tuam maiorem gloriam , & sanctissimæ voluntatis tuæ accuratam in omnibus adimplitionem.